

re, quod nobis bonum apparet, non necessario tale iudicatur, quia vel iudicium nostrum de illius bonitate suspendere, vel etiam malum aliquod in eo detegere, vel majus bonum verum aut apprensibile nobis representare possumus, ac proinde illud non necessario appetimus. Idem, proportione servata, dicendum est de objecto, quod malum nobis apparet, vel indifferens, ita ut possimus transire a statu indifferentiæ ad statum appetitionis, & ab hoc ad statum aversionis, & viceversa. Anima igitur per naturam suam determinata est ad bonum in genere appetendum & malum in genere averfandum; sed non est necessario determinata ad objecta particularia vel prosequenda vel averfanda. E. G. Nobis offertur cibus, quem sapore gratissimum esse experti sumus; si id tantum in cibo illo consideremus & iudicio sensuum acquiescamus, illum appetimus; at si nobis in mentem veniat cibus illum sanitati noxium esse & ratione nostra velimus uti, illum averfamur. Contra medicamentum nobis exhibitum averfamur, dum unice attendimus ad illius ingratum saporem & sensuum iudicio stare volumus; sed si illius vim ad sanitatem restituendam attendamus, & ratione nostra uti velimus, idem appetimus seu volumus.

Inst. 1. Voluntas est libera circa bonum & malum, ergo potest appetere malum & averfari bonum. Unde Ecclesiastici cap. 15 legitur: *Ante hominem vita & mors: bonum & malum, quod placuerit dabitur illi* Resp. Dist. ant. Voluntas